

## Capitulum CI.

1310 Quomodo Heinricus imperator Johanni, suo primogenito, in Spyra festum sollempne peregerit nupciarum anno Domini MCCCX<sup>o</sup> kalendis Septembris.

Post hec in Spyra vidi sollempnia mira.  
Divicie cum deliciis fuerant ibi cuncte,  
Milicie cum leticiis aderant ibi iuncte.  
Lingua nequit fari, sic nec poterit recitari  
Illud regale festum, quia nescio tale.

Cum enim instabilitatis nescius, sed in promissis fidelissimus dominus Heinricus rex, princeps Romanus, promissa implere vellet omnia, consumare sponsalia et suo filio primogenito festa nupciarum celebrare intenderet sollempnia, misit servos et vocavit multos principes scilicet et comites et barones, qui unanimiter consenserunt, ad diemque festum in Spyram gaudio comite, ut rex imperaverat, pervenerunt. Instabat<sup>1)</sup> enim dies celeberrimus ad honorem regis magnifici illius perpetue memorie recondendus. Misit quoque in Spyram civitatem regiam, ut singuli sese et sua habilitent ad augendam et agendam illius festivitatis gloriam. Precepit itaque rex procuratoribus suis, ut in Spyra in loco satis lato et spacio, in latere Spyrensis ecclesie cathedralis, quod ad faciem vergit aquilonis, mense, sedilia, scampna et sedes opere fiant artifico et subtili, que regio congrue<sup>2)</sup> valeant statui et honori. Que omnia facta sunt, prout melius dictare poterat ingenium et manus architectorum. Providit<sup>3)</sup> eciam regis providencia, ut ad regalia convivia omnium necessariorum non deesset copiositas opulenta. Omnibus tandem apparatus et indigenciis ad festum hoc celebre adaptatis,<sup>4)</sup> ecce tertio kalendas Septembris, hoc est in die beatorum<sup>5)</sup> Felicis et Adaucti,<sup>6)</sup> quod tunc in diem lune evenerat,<sup>7)</sup> gloriosus rex cum regina Margaretha, coniuge sua, et nova sponsa, Eliza-

beth puella, nec non cum maxima principum et <sup>13</sup> magnatum copia precedente et precinente omni instrumentorum musicorum genere<sup>8)</sup> leticia et exultacione versus Spyram procedit. Et cum iam surgit hora tercia, civitatis Spyrensis portas ingreditur concio letabunda. O quanta tunc honoris magnalia vidit oculus meus! Parietes dormorum extrinsecus vestiebat byssus et purpura, in fenestris, cancellis et hostiis aspiciens a longe stabat turba letancium hominum promiscua, ut videret regis potentiam, regine venientisque response decenciam. Inter musice sonoram melodiam campanarumque resonanciam<sup>9)</sup> audivi voices multorum dicencium<sup>10)</sup>: Salus, honor et virtus et imperium sit tibi rex noster et domine. Dominus noster, quia tu es, rex pacificus et magnificus<sup>11)</sup> es, tuum vultum nunc desiderat universa terra. Clamant<sup>12)</sup> quoque iuvenes et virgines, senes cum iunioribus una voce dicentes: Vivat rex Heinricus cum suo filio in eternum. Turba vero, que convenerat ad diem festum nupciarum regalium, que precedebat et sequebatur, erat innumerabilis, ornatibus insignitaque decoris. Post hunc introitum iocundum<sup>13)</sup> iocundius<sup>14)</sup> sequebatur<sup>15)</sup> convivium iocundissime epulantum. Convivabat rex cum principibus et militibus ad hoc dignis. Regina autem cum nova sua filia suaque decenti familia letissime instituerat convivia, in quibus unicuique data sunt secundum suum statum, que erant necessaria, et eciam superflua, non pauca; epulabantur omnes splendide. Hoc autem convivium solum erat quasi aliquod indicium et preludium ad futurum.<sup>16)</sup> Circa horam<sup>17)</sup> vero<sup>18)</sup> nonam diei illius convocari ad se mandavit rex principes et sacri imperii, qui tunc aderant, electores, alios quoque magnates plurimos, in quibus aliquid posse et nosse fuerat, dixitque ad eos: Vos, inquit, scitis, quia ipsi affuistis, qualiter nuper in Frankenuru<sup>19)</sup> tractatum fuerit de regno et rege Bohemie de ve-

<sup>1)</sup> R. 1310 bylo sv. Štastného a Zbožného (Felicis et Adaucti) v neděli a ne v pondělí, proto myslí také Pařík, že se musíme držet co do datum dne 31 a ne 30 srpna.

<sup>2)</sup> instarabat 3. — <sup>3)</sup> congruere 2. — <sup>4)</sup> praeuidit 4. — <sup>5)</sup> adoptatis 2. — <sup>6)</sup> sanctorum 4. — <sup>7)</sup> Aadaucti 4. — <sup>8)</sup> genere in let. 3. — <sup>9)</sup> res. resonare 3, 4. — <sup>10)</sup> dicentium multorum 4. — <sup>11)</sup> magnificatus 4. — <sup>12)</sup> Clamabant 4. — <sup>13)</sup> iucundum — iucundius 4. — <sup>14)</sup> nemá 2. — <sup>15)</sup> sequebantur 2. — <sup>16)</sup> affuturum 4. — <sup>17)</sup> nemá 3. — <sup>18)</sup> fere 4. — <sup>19)</sup> Frankinfurd 3; Franckenfurd 4.